



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Aigulphus Mart. 3. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

quia dives es: nunquid nobilior, nunquid potentior, nunquid ditior es Christo? ille pro te illa, qua tu despicias, elegit. S. Ambros. super Psalm. Beati.

S. AIGULPHUS MART. 3. Septembris.

Humiles cunas AIGVLPHVS magnis virtutibus nobilitavit, monachus primò Floriacensis, tum Abbas Lirinensis factus. Unus certè dignus à Deo habitus est, qui, somno monitore, opima illa spolia (ossa D. Benedicti) Cassino in Gallias asportaret. Cæterum invidia Arcadium quendam, & suo minimè dignum nomine Columbum, (Pseudomonachum utrumque) excivit, qui virum & monasterio & vitâ ejicerent. Excepit AIGVLPHVS amico convivio hostes, & cæsus atque in vincula datus, licet ab ipso custode ad fugiendum animaretur, turpi fugæ gloriosum carcerem prætulit. Inde captivus cum suis abductus, cum tempestate diebus XL. jactarentur, solus portum sibi petere visus est. Et petebat, sed beatitatis; quam quia jam unam & animo spirabant & ore loquebantur, linguam Columbus primò jussit præscindi, tum omnibus radicitus evelli. Etiam tum disertè loquentibus laudes DEO, quin AIGVLPHO ad concionem mirâ facundiâ dicenti erui etiam oculos mandavit, gratulatuos puto sibi, quòd abhinc monstrum hoc, tyrannum monachū visuri non essent. Ad extremū in insulam ejecti gladioque sunt cæsi. Ne tamen improbitas ob successus sibi plauderet, adfuit in somnis Columbo ipse AIGVLPHVS, & sanguinis sui guttâ in scelerati pectore ac tergo geminos circulos descripsit. Ex his supplici unum duntaxat reliquit, certissimum mortis omen, quâ Rex Clodoveus meritissimum affecit. Nam ut

omnes

omnes scriptores taceant, facinoris immanitatem
 execræ linguæ loquuntur. *Ex Graf.*

*Vidit Deus opera tua, recursus & excursus flagitio-
 rum tuorum, & continuit iram suam. Cælum non ful-
 minavit, aqua non submersit, non absorpsit tellus; &
 in omni terra sit plena gloriâ Domini, non reveritus
 est præsentem Dominum, & coram tantâ munditiâ im-
 munditias tuas exercere. S. Pet. Dam. serm. de Char.*

S. ALBERTUS C. 3. Septembris.

Abque ventis adversis fuisset, nunquam ani-
 mum ALBERTVS ad cælum appulisset, usque
 adeò malè Favonios sæpè vocamus. Natus in
 magnas opes, majores has artibus non bonis effe-
 cerat, stultusque cælum dudum auro vendiderat.
 Ut tamen divitiis divitias, hoc est lutum luto ad-
 deret, velis remisque per lacum Verbanum con-
 tendit. Verùm exorta repentè ingens procella
 alias scilicet oculis undas Cocyti objecit, alium
 nautam Charontem. Ergo cùm omnia jam uni-
 cum naulum crederet, & orco debitum, vota cum
 velis vertit, & ut viveret, cælo vovit deinceps vi-
 vere. Arrisit continuò votis cælum, ut audisse hæc
 scires. Sed ecce in ipso portu naufragium. Opes
 omnes (ne time lector) in miseros abjicit, inde
 conjuge inter velatas virgines abditâ, montem
 non sine ingenti labore conscendit, qui in eum,
 de quo mentionem fecimus, lacum excurrit. Hic
 cælo propior cum DEO jam commercia habuit,
 & commeatum à præternavigantibus demissâ
 sportâ lagenulaque accepit tam diu, dum Angeli
 denique victum è cælo ministrarent. Itaque cum
 Superùm hospes necquicquam ab hominibus
 jam mendicaret, mortuum rati sunt accolæ. Sed
 vivere